BEDA VENERABILIS

Salzburg, St. Peter, 1. Viertel 9. Jh.

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=38278
Copyright: Salzburg, Erzabtei St. Peter, Benediktinerstift, Bibliothek

uoluit personae suae fauus quippe mel in cera est, Mel uero in cera est diuinitas in humanitate. Sicut sua eidem totus indicat ut imitationis uiam nobis sequentibus sternat. Ecce enim in cibo suo pisci asso coniungere fauum uoluit. quia uidelicet illos in suo corpore ad aeternam quietem suscepit. Qui cum hic tribulationis pro deo sentiunt. Ab amore internae dulcedinis non recedunt. Cum asso pisce fauus sumitur quia qui hic adflictionem pro ueritate suscipiunt illic dulcedine uera satiantur.

Et dixit ad illos. haec sunt uerba quae locutus sum ad uos. cum adhuc essem uobiscum. l. cccxlii x. sol. R

Id est cum adhuc essem in carne mortali in qua estis et uos. Tunc enim in eadem carne resuscitatus erat. sed cum illis in eadem mortalitate non erat. Et cum illis quidem postea quam resurrexit fuit quadraginta diebus ut legitur exhibitione corporalis praesentiae sed non cum illis fuit consortio infirmitatis humanae.

Quoniam necesse est impleri omnia quae scripta sunt in lege moysi et prophetis et psalmis de me.

Uide quomodo tulit omnes ambages. uisus est. tactus est. manducauit ipse certe erat tamen ne in aliquo sensus humanos ludificasse uideretur. Misit manus ad scripturas dicant pagani. quicquid uoluit magus fuit potuit se sic ostendere. Numquid magus antequam natus potuit se prophetare. Da scripturas quia quod uides ante prouisum est. quod cernitis ante praedictum est. Audi filia et uide audi praedicta uide completa.

Tunc aperuit illis sensum ut intellegerent scripturas. et dixit eis. quoniam sic scriptum est et sic oportebat christum pati et resurgere a mortuis die tertia.

Praebet se uidendum oculis. praebet manibus contrectandum. paruum est lege. commemorat scripturas. et hoc paruum est. aperit sensum ut quod legis intellegas. Deinde post commendata sui corporis ueritate.

Et praedicari in nomine eius paenitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes incipientibus ab hierusolimis.

Non iam tret nebies hereticorum de angulo toto terrarum orbe ecclesiae diffusa est; omnes gentes habent ecclesias. nemo nos fallat ipsa est uera ipsa est catholica. Coepit ab hierusalem peruenit ad nos et ibi est et hic non enim ut huc ueniret inde discessit. Creuit non migrauit et merito sic scriptum est. Incoeperunt dominicae pietatis sacramenta. Et sic oportebat ut ministri sermonis qui in nomine christi crucifixi et resuscitati a mortuis paenitentiam erant et remissionem peccatorum in omnes gentes praedicaturi ab hierusolimis inciperent non solum quod credita sunt illis eloquia domini. quia eorum adoptio est filiorum et gloria et testamenta et legislatio et obsequium et promissa quia eorum patres et ex his christus secundum carnem qui est super omnia deus benedictus in saecula. Uerum etiam ut gentes quae uariis erant erroribus et facinoribus implicatae hoc maxime diuinae pietatis indicium ad spem impetrandae ueniae prouocaret. Quod eis quoque